



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad  
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae  
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa  
Confessio**

**Cutsemius, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1621**

Henricvs IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11884**

## HENRICVS III.

**C**ONRADVM secutus est filius *Henricus*  
*Rex Romanorum III.* viuentem Patre in Re-  
 gni consortium assumptus, & deficiente, hoc  
 est moriente illo, in regno successor relictus.  
 Sic de illo breuiter referunt; Hermannus  
 Contractus ex Comitibus Veringensibus,  
 Monachus Augiensis, ad ann. 1026. dicens,  
*Conradus Rex filium suum Henricum Regem se-*  
*cit &c.* & ad an. 1039. *Conradus Imperator tertio*  
*Nonas Iunij obiit, pro quo Henricus Rex, filius eius*  
*regnavit: item Otto Frising. lib. 6. c. 28. Rex*  
*verò filio suo Henrico adhuc infantulo Rege post se*  
*designato, Italiam ingreditur &c. & cap. 32. Anno*  
*1040. Henricus tertius, qui patre viuentem regnare*  
*ceperat, ipse mortuo 89. ab Augusto solus regnavit.*  
 Idem dicunt Vrsp. ad an. 1040. *Henricus III.*  
*Conradi Imp. filius dudum patre viuentem rex con-*  
*stitutus, &c.* & Sigebertus in Conrado ad an.  
 1027. *Filium suum adhuc puerum in Regnum sub-*  
*limat Aquis.* Et Lambertus Schaffn. ad an.  
 1028. *Henricus, inquit, Imperatoris Filius Rex*  
*factus est Aquisgrani per Pelegrinum Coloniensem*  
*Archiepiscopum.*

## HENRICVS IV.

**H**ENRICO patri successit similiter filius  
*Henricus IV. admodum puer, vt ait Vrsp.*  
 F 5                      ad an.

ad an. 1057. de quo Lambertus, qui tum viuebat, sic ait ad an. 1052. *Imperator Natalem Domini Polethe celebrauit, vbi filio suo Heinrico adhuc \* caticumino Principes Regni sub iuramento fidem promittere fecit.* Et ad an. 1054. de eodem puerulo, *Henricus, inquit, consecratus est in Regem Aquisgrani ab Herimanno Colonienſi Archiepiſcupo.* Et ad an. 1056. *Regnū pro patre obtinuit filius eius Henricus, quinque annorum infantulus, anno poſtquam in Regem vnctus fuerat tertio. Summa tamen rerū, & omnium quibus factū opus erat adminiſtratio penes Imperatricem remanſit. Hermannus quoque contractus, qui eodem tempore vixit, in Chronicis ſuis ad an. 1053. Imperator, inquit, Henricus magno apud Triburiā conuentu habito filium equiuocum Regem à cunctis eligi, eiſque poſt obitum ſuum, ſi rector iuſtus futurus eſſet ſubiectiōem promitti fecit.* Ad quem conuentum Conradus Boiariæ Dux venire nolens, cū expeditis militibus Regi rebellare moliens, &c. His conformiter loquitur Otto Friſing. lib. 6. c. 34. dum ait: *An. MLVII. Henricus quartus, Henrici filius admodum puer, patri in regnum ſuccedens, XCI. ab Auguſto regnare cepit.*

Hic tamen Henricus in ætate virili valdè diſſolutæ fuit vitæ, & inimiciſſimus Saxonice Nationis Principum pariter & populorū hoſtis, Tyrannus, in cuius pluries excommunicati vicem & locum primates Regni vt alium

lium

lium eligerent, sæpè, & numerosè conuenerunt, & de facto elegerunt, viuentè Henrico, Sueuiæ Rudolphum Ducem in Regem.

## RUDOLPHVS

Sueuus..

**Q**UON testis coætaneus, & author fide dignus Bertho'dus presbyter Cõstatiensis, & Penitentiarius apostolicus refert ad an. 1077. his verbis: *Vnde & Papa missis Legatis Principibus Regni declarauit, se parum profecisse in eo, quod illi Henricum in communionè receperit, cum Simoniaci, & excommunicati non minus tunc fouerentur ab eo, quam pridem. His ergo auditis Principes Regni generali colloquio apud Forcheim 3. Idus Martij habito egregium Rudolphum Ducem sibi in Regem sublimarunt, què 7. Cal. April. coronarunt. Et Otto Frising. lib. 1. de gestis Frid. cap. 7. Rudolphus Dux Sueuorum ab eis Rex factus, diadema à Romana Ecclesia accepisse traditur cum huiusmodi scripto:*

*Roma dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.*

Albertus Abbas Stadenfis ad an. 1076. eandem profequens historiam, primò versum istum variat, dicens; *cui Papa auream transmisit coronam, hoc versu intitulatam:*

*Petra dedit Romam Petro, Tibi Papa Coronam.*

Deinde addit: *Præcepitque Moguntino, & Coloniensi, cæterisque Episcopis, & Principibus vt ad-*

iiii